



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De familiari amicitia Iesu. VIII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

omnis gloria eius vt flos sceni cadet.

3. Citò decipieris, si ad externam hominum apparentiam tantum aspexeris. Si enim tuum in alijs quæris solatium & lucrum, senties sæpius detrimentum. Si quæris in omnibus Iesum, inuenies utique Iesum: Si autem quæris teipsum, inuenies etiam teipsum, sed ad tuam perniciem. Plus enim homo nociuior sibi, si Iesum non quærit, quàm totus mundus & omnes sui aduersarij.

## C A P V T VIII.

*De familiari amicitia Iesu.*

1. **Q**uando Iesus adest, totum bonum est, nec quicquam difficile videtur: quando verò Iesus non adest, totum durum est. Quando Iesus intus non loquitur, consolatio vilis est. Si autem Iesus vnum tantum verbum loquitur, magna consolatio sentitur. Nonne Maria Magdalena statim surrexit de loco, in quo fleuit, quando Martha illi dixit: *Magister adest, & vocat te?* Felix hora, quando Iesus vocat de lachrymis ad gaudium spiritus. Quàm aridus & durus es, sine Iesu, Quàm insipiens & vanus, si cupis aliquid extra Iesum. Nonne hoc est maius damnum, quàm si totum perderes mundum? *Ioan. 11. Matth. 16.*

2. Quid potest tibi mundus conferre sine Iesu? Esse sine Iesu grauis est infernus: & esse cum Iesu, dulcis paradysus. Si fuerit tecum Iesus, nullus poterit nocere inimicus. Qui inuenit Iesum, inuenit thesaurum bonum, imò bonum super omne bonum. Et qui perdit Iesum, perdit nimis multum, & plus quàm totum mundum. Pauperrimus est, qui viuit sine Iesu: & ditissimus, qui bene est cum Iesu. *Roman. 8. Matth. 13. Luc. 11.*

3. Magna ars est, scire cum Iesu conuersari, & scire Iesum tenere magna prudentia. Esto humilis & pacificus, & erit tecum Iesus. Sis deuotus & quietus, & manebit tecum Iesus. Potes citò fugare Iesum, & gratiam eius perdere, si volueris ad exteriora declinare. Et si illum effugaueris & perdideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres amicum? Sine amico non potes bene viuere: & si Iesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Fatuè igitur agis, si in aliquo altero confidis aut lætaris. Eligendum est magis, totum mundum habere contrarium, quàm Iesum offensum. *Prou. 3. Galat. 6.*

4. Ex omnibus ergo charis sit Iesus solus dilectus specialis. Diligantur omnes propter Iesum, Iesus autem propter seipsum. Solus Iesus Christus singulariter est amandus, qui solus bonus & fidelis præ omnibus inuenitur amicis. Propter ipsum & in ipso, tam amici quàm inimici, sint tibi chari: & pro omnibus his



exorandus est, vt omnes ipsum cognoscant & diligant. Nūquam cupias singulariter laudari vel amari, quia hoc solius Dei est, qui similem sibi non habet. Nec velis, quod aliquis tecum in corde suo occupetur, neque tu cum alicuius oecuperis amore, sed sit Iesus in te, & in omni bono homine.

5. Esto purus & liber ab intus, sine alicuius creaturæ implicamento. Oportet te esse nudum, & purum cor ad Deum gerere, si vis vacare & videre, quā suavis sit Dominus. Et reuera ad hoc non peruenies, nisi gratia eius fueris præuentus & intractus; vt omnibus euacuatis & licentiatis, solus cum solo vniaris. Quando enim gratia Dei venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia: Et quando recedit, tunc pauper & infirmus erit, & quasi tantum ad flagella relictus. In his non debes deiici, nec desperare, sed ad voluntatem Dei æquanimiter stare: & cuncta superuenientia tibi ad laudem Iesu Christi perpeti. Quia post hyemem sequitur æstas; post noctem redit dies; & post tempestatem magna serenitas.

## CAPVT IX.

*De carentia omnis solatij.*

Phil. 2.

1. **N**on est graue humanum contemnere solatium, cum adest diuinum. Magnum est & valde magnum, tā humano quā diuino posse carere solatio; & pro honore Dei, libenter exilium cordis velle sustinere: & in nullo seipsum querere, nec ad propriū meritum respicere. Quid magni est, si hilaris sis & deuotus adueniente gratia? Optabilis cunctis hæc hora, Satis suaviter equitat, quem gratia Dei portat. Et quid mirum, si onus non sentit, qui portatur ab omnipotente, & ducitur à summo doctore?

2. Libenter habemus aliquid pro solatio, & difficulter homo exiit à seipso. Vicit sanctus martyr Laurentius seculum, cum suo sacerdote: quia omne, quod in mundo delectabile videbatur, despexit; & summum Dei sacerdotem Sixtum, quem maximè diligebat, pro amore Christi etiam à se tolli clementer ferebat. Amore igitur creatoris, amorem hominis superauit; & pro humano solatio, diuinum beneplacitum magis elegit. Ita & tu aliquid necessarium & dilectū amicū pro amore Dei discere relinquere. Nec grauiter feras, quū ab amico derelictus fueris, sciens, quoniam oportet nos omnes tandem ab inuicem separari.

3. Multum & diu oportet hominem in seipso certare, antequā discat seipsum plenè superare, & totum affectum suum in Deum trahere. Quando homo stat super seipsum, facilè labitur ad consolationes humanas. Sed verus amator Christi, & studiosus secta-